



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Theoderici Regis Qvondam Ostrogothorum & Italiae

Cochlaeus, Johannes

Ingolstadii, 1544

VD16 C 4410

De Salvitari Ac Moderata Regni administratione. Cap. VI.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb00004354-8

mala est, sit igitur (inquit) Vnus princeps. Scimus & illud
Lucani.

Lucanus

*Nulla fides regni socijs, omnisque potestas.
Impatiens consortis erit, nec gentibus ullis
Credite, nec longe fatorum exempla petantur.
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.*

Si ergo duo fratres gemelli, Romulus & Remus, non potuerunt diu simul regnare, Quis miretur, hos duos reges, qui tam diuersi natione, et nulla inter se cognatione aut affinitate coniuncti erant, non potuisse diu in uno consistere regno, p quo tā cruēta et crebra inter sese prelia recenter cōmiserāt.

Quandoquidem in sacris quoq; literis insignereferatur exemplum de duobus fratribus, Iacob & Esau, gemellis Rebeccę (sicut Romulus et Remus Rheę) qui ne in utero quidē matris sue, pacē habuerūt inter sese, sicut elegāter explicat in homelia Chrysostomus. De quibus et propheta Malachias et Paulus Apostolus sublimem attingunt, supra humani ingenij captum, disputationem.

Malach. 1.
Ro. 9.

*DE SALVTARI AC MO
derata Regni administratione. Cap. VI.*

Sublato itaque Odoacre, Theodericus magno cum omnium Italię populorum, tum præcipue Romanorum de syderio gaudioque uelut legitimus princeps est susceptus. Id quod omnes Historici, qui de eo scripserunt, attestantur, excepto uno, Ottone Episcopo frisingensi, Viro alioqui graui docto & pio, quem puto Zelo quodam fidei Catholicę, et indigna Boetij uiri Clarissimi morte commotum aduersus hūc regem, secta Arrianum & Boetij interfectorem fuisse, ut in
Ec iij hec

Lucanus
Lucanus
Lucanus
Lucanus

Otto Frisii
genis lib.
5. c. 1.

Augustum
hic Zenonē
Imperatorē
dicit.

Durū Otto
nis Frisii
genis de The
iudicium,

Melius pro
copij de
Theo. iudi
cium.

hec proruperit doloris et cōmiserationis uerba. Vide (ingt.) Rempub. miserabiliter labefactatam, Cerne populum illum sapientia ac Viribus quondam Orbis dominum, ad tantum deuenisse defectum, ut à barbarica Tyrannide conculcatus, grauique domino mancipatus, non nisi à barbaro liberari queat, Tyrannum subiecte ac gratanter suscipiat, ut alterius Tyranni dominationem effugiat. Itaque Theodericus Romanorum potius imperio, haud memor ab Augusto suscepti mandati, fasque nefasque barbarice cōmiscens, ac ciues diuersis iniurijs contumeliose afficiens, Imperium uertit in Tyrannidem. Cernens hoc Clarissimus Vir, Consularis Ordinis, Anitus M. Boetius, ac rationis intuitu animaduertens, dum Tyrannidi eius obuiare molitur, ab eo in exilium trusus, Papię in carcere ponitur. Hęc Otto ille, Cuius quidem iudiciū de hoc rege nemo comprobabit, credo quisquis septem priores epistolarum libros Cassiodori legerit. Quod ad Boetij causam attinet, non potest hic cōmode tractari, quia esset contra rerum gestarum ordinē. Quandoquidem ille, in ultimo huius regis anno est occisus. Cum igitur Cassiodorus ubique aliam de hoc rege sententiam pronunciet, uir Consularis Catholicus & sanctus, æquus lector utiq; potius Cassiodoro, testi oculari (ut dicitur) credit quam Ottoni huic, qui multis post seculis audita retulit, suę nixus cōiecturę iudicio.

Audiamus igitur, quid Procopius, autor Grecus et antiquus, Theoderici coetaneus, de ipso senserit. Is (inquit) Theodericus suis sic præerat subditis, ut omnibus ornamentis, quæ uero imperatori congruerēt, se communiret. Nam et iusticię studuit plurimum, legibus firmiter obseruatis, & à circumiectis et finitimis barbaris Italię agros ad securitatem tutatus est. Quippe qui ad magnanimitatis & sapientię summum fastigium peruenisset, atq; adeo, ut in subiectos nec minimū quippiam

quippiam ad iniuriam exerceret, nec cuius sibi id forte in-
nuanti assentiretur, præter id unum, ut Gothi agrum, quem
Odoacer suę dederat factionis hominibus, inter se partiren-
tur. Erat autem Theodericus fama quidem Tyrannus, re tñ
præse ueri specimē Imperatoris ferebat. Ut qui uel eorum qui
à principio ea in dignitate probatiores fuissent, nemini inferi
or fuerit, & Gothos idem ac Italos pari quadam ac summa
beneuolentia, suaapte humanitate prosequeretur. Ita ut om-
nes (quod utique difficillimum est) eius imperium oblecta-
ret. In ciuilibus namque & publicis rebus tractandis, uaria ni-
mirum sunt mortalium uota, & sepe id accidit, presens impe-
rium his quidem & de improviso ut placeat, quibus uolupta-
ti sunt quę geruntur. Vel ut mœrore afficiantur, quibus ali-
ter longe ac sentiant, res ipse procedunt. Hęc Procopius.

Fama, apud
Græcos scis
licet, q̄a na-
tione barba-
rus esset.

Extat præterea Epistola quędã Sidonij Apollinaris Auer-
norū in Gallia Episcopi, qui sicut hunc regem optime nouit
et presens uidit, ita dignior debet uideri testis, cui fides adhi-
beatur, quam alijs quibuslibet, qui tantum ex auditu aut ex
coniecturis de illo iudicant, Epistole igitur illius hic initium
dumtaxat, referre libet, quod sic habet. Sidonius Agricole
suo Salutem. Sæpenumero postulauisti, ut quia Theoderici
regis Gothorum commendat populis fama ciuilitatem, lites
ris tibi formę suę quantitas, uitæ qualitas significaretur,
pareo libens, in quantum epistolaris pagina finit, laudaturus
uitę tam dulcæ sollicitius ingenuitatem. Ipse etenim est &
illis dignus agnosci qui eum minus familiariter intuentur.
Ita personam suam Deus arbiter & ratio nature, consuma-
tæ felicitatis dote sociata cumulauerunt. Mores autem hu-
iuscemodi, ut laudibus eorum nihil, ne regni quidem defrau-
det inuidia. Hoc sane illius Epistolæ initium facile conuin-
cit, Ottonem illum magis ex zelo et affectu, quam ex ratio-
ne & iudicio, tam diuersa de rege illo scripsisse. Quod tunc
manifestius

Epistola Si-
donij de re-
ge Theo-

manifestius erit, ubi tota Sidonij perfecta fuerit epistola.

Historico
rū de Theo.
iudicium.

Verba Pau
li Diaconi.

Alemanos
In genere,
Gothos uo
cat, fuit n.
iste ex Bal
thorum fa
milia. In go
this perno
bili.

Verba Blō
di de bene
ficijs Theo.
erga Italiā.

Quod si testes isti antiqui & oculares uel de familiaritate uel de adulatione suspecti cuiuspiam (quod tamen mihi æquū non uidetur) habeantur, proferam & alios interim testes ex ipsa Italia, Paulum Diaconum, Blondum, Sabellicū, Platynam, Paulum Aemylum Veronensem, qui quale huius regis in Italia Reipub. regimē fuerit, explicuerūt & contestati sunt, alter altero clarius & copiosius. Antiquior itaque ex ijs Pau. Diaconus, paucis ita refert. Theodericus extincto apud Rauennam Odoacre, totius Italię adeptus est ditio nem, nec multo post Romam profectus, à Romanis magno gaudio susceptus est. Quibus ille singulis Triticid ad subsidiū annis XX. Milia modiorum concessit. Et post pauca. Theo dericus interea, ut sui regni uires constabiliret, Audesfredam Luodouici francorū regis filiam sibi in matrimoniū iunxit. Amalafredam, germanam suam Vuandalorum regi Hono rico. Eius Amalefredę filiam Amalabergam Turingorum regi Hermensredo. Theodico dā quoq; & Ostrogotham ex concubina filias, alteram Alarico Vuisigothorum regi, alterā Sigismundo Burgundionum consociauit. Amala uinthā uero tertiam filiam Eutharico, ex Alemanorum stirpe ueniē ti, euocato ab Hispania, tradidit. Nec fuit aliqua uicina Italię gens, quæ Theoderico aut coniunctionis affinitate aut pac tionis fœdere sociata non fuerit. Hæc ille.

Et longe post eum Flauius Blondus, ubi quam plurima Theoderici in urbem Romanam beneficia comemorasset, ita subiunxit. Simili item pietate usus est erga uniuersas Ita lię Vrbes, quod maxime ostendit Edictum adhuc extans. In quo ciues iubet toto anni tempore, præterquam tribus mes sium & autumni mensibus, ciuitates & oppida frequentare, obireque munera, quibus antea, quietissimis Reipub. tempo ribus, florere consueuerant. Non solum n. agrestes tunc, sed honesto

sed honesto nati loco, motibus fatigati, quibus tam diu Italia agitata fuerat, rura incolebant. Papiæ & Modocæ (quæ oppida post Rauennam amauit) Palatia, Arimini S. Stephani, & Rauennæ S. Martini in caelo aureo Basilicas, Spoletinam quoque amplas ædes magno sumptu ædificauit. Syontinam ciuitatem iam tum in ruinam uergentem, ut instauraretur, tributorum uacatione donauit. Apponi balnea, quæ ager Paduanus habet, muro concludi, ædesque superædificari curauit. Quibus aliisque bonis artibus præstans princeps effecit, ut per omnes regni sui annos, excepto extremo, et Roma et Italia, Octauij Augusti, aut Traiani, Hadriani, uel melioris cuiuspiam principis tempora nam desiderauerint.

Et infra, prospexit etiam prudentissimus princeps Theodericus, externarum gentium, à quibus solis tunc sibi in Italiam timendum fuit irruptionibus, & Herulis post occisum Odoacrem conseruatis nouum regem constituit, cuius nomen non exprimit Cassiodorus, quem regem cum suis Herulis in extremis Italiae partibus apud Augustam prætoria & sub Alpibus Apenninoque habitare permissum, ipse Theodericus in filium adoptauit. Et paulo post. Possedit uero & ex prisco Romanorum principum instituto administrauit Romani imperij occidentales prouintias, quæ à nullis dictarum barbararum gentium regibus (quos sibi affinitate coniunxerat) tenerentur. Nedum n. unquam cum Francis Burgundionibus, & Uuisigothis bella suscepit, sed eos aliosque barbaros imperij oppressores, quo ad potuit, simul in pace continuit, missis Oratoribus cum epistolis, quæ extant ne aliqui inter eos nata dissensio, Constantinopolitanis Imperatoribus patefaceret ad iura imperij resumenda. Et rursus. Quin etiam Theodericus futuris providens temporibus, claustra Italiae ab ipso Alpiu maritimarum initio, usque ad Tridentinos montes attribuit Gothorum proceribus inhabitanda. Inramitib.

Ff aut,

Prudentia
Theo. in fir
manda Ita
liæ pace.

Hæc adoptio per arma facta est non ad regni successionem, ut infra patebit.

aũt, per quos ipse & cæteri barbari erāt ingressi, oppida exci-
tauit, ciuitate, cui nunc Tridento est nomen, quod tunc erat
muro cinctā, & Veruca arce ad Norici & Italiæ fines, eo in
loco, cui nunc Montifalconi est nomen, à fundamento ædis-
ficata. Hæc & id genus multa Blondus, quæ omnia referre
nimis longum foret.

Verba Sa-
bellici de
Theo,

Cur Rauē-
næ potius
q̄ Romæ
habitauit
Theo.

Verba Pau-
li Aemylij.

Nec ijs dissimilia refert Sabellicus, stylo aliquanto elegan-
tiore, è quibus pauca hic repetam. Ipse (inquit) Theode-
ricus tam dextere mansueteq; regnum administrare, Ciuitate-
tes et populos tractare, ut cū Augusto principe Traianoue,
aut alio ex ijs qui optimi principum iudicati sunt, merito cō-
ferri potuerit. Adeo interdum uel in mediā barbaria, precla-
ra proueniunt ingenia, ut in mitissimis etiam generibus non
nūq̄ pessima. Enimvero tamen si Rauēnæ ageret, Quod nō
tantum est ab eo factum, quia Romanorum ferotiam hor-
reret (ut tradunt quidam) desperaretq; posse fieri, ut Roma
diu et regem & barbarum ferret, q̄ q̄ uidebat, nunq̄ fore, ut
Gothis Romanisq; conueniret, quorum diuersi mores, diuer-
saq; sacra essent (Erant n. Gothi Arriani, Romæ Orthodoxe
fidei tunc, ut hodie, uigebat cultus) ad tollendam omnem
discordiæ materiam, uel quod alij scribunt, loci oportunitate
sequutus Rauēnæ (quod satis cōstat) aſos fuit circiter XL.
urbis administratione Senatui permissa, Hæc Sabellicus.

Paulus Aemylius Veronensis, de rebus gestis Francorū
diffusæ ac preclare scribens, pauca de supra memoratis ex
Pauli Diaconici affinitatibus cōmemorat, quæ hic repetere li-
bet, q̄ aliquanto lucidiora uidentur, Theodericus (inquit)
Ostrogothorum idem ac Italiæ rex, ex Hispania (ubi maxi-
ma ex parte sedes Visigothorum erant) Entharicum, Regia
Balthorum familia ortū, ad se in spem hæreditatis Regniq;
Italici accersit, eiq; filiam Amalasuintam despondit. Duæ
reliquæ eius filiæ, altera Visigothorum regi Alarico, altera
Sigismundo

Sigismūdo Gundebaldi Burgundionis regis filio nupserāt
Ipsi uero Theoderico regi Andefleda Clodonei regis soror
despōsa fuerat, Clodoneo autē Remis i baptismo Ludouicus
nomē à S. Remigio inditū est. Hæc ideo repetiuerim, ut nō
turbetur lector circa nomē uxoris Theoderici, quam diuersi
mode scribunt. Vnus Andafledam, alius Audafredam, alius
Andefledam; Vnus filiam, alius sororem Clodonei, quem
à baptismo Ludouicum deinceps nominat Acmylius, eun-
dem Cassiodorus in Epistolis Luduin uocat. Platynæ uer-
ba hic repetere nihil est opus, nam & ab alijs sunt relata.

Cæterum q̄ æquabile ac tēperatū fuerit Theoderici regi-
men inter Gothos & Romanos (uocat autē omnes Italos cō-
muniter Romanos) ex ipsiusmet uerbis, quæ Cassio. refert,
optime certissimeq; cognoscitur. Cum (inquit) Deo iuuan-
tesciamus Gothos uobiscum habitare permixtos, Ne qua
inter consortes (ut assolet) indisciplinatio nasceretur, neces-
sariū duximus, illum sublimē uirū bonis nobis moribus has-
tenus cōprobatum, ad uos Comitem destinare, qui secun-
dum Edicta nostra inter duos Gothos litem debeat amputa-
re. Si quod etiam inter Gothum & Romanum natum fuerit
fortasse negotium, adhibito sibi prudente Romano, certamē
possit æquabili ratione distingere. Inter duos aut Romanos
Romani audiāt, quos per prouincias dirigimus cognitores,
ut unicuiq; sua iura seruentur, & sub diuersitate iudicij, una
iusticia cōplectatur uniuersos. Sic pace communi utraq; agna-
tiones, diuinitate propicia, dulci ocio perfruantur. Scitote
autē, unam nobis in omnibus æquabiliter esse charitatem, sed
ille se animo nostro amplius cōmendare poterit, qui leges
moderata uoluntate dilexerit. Nō amamus aliquid inciuile,
scelerstam superbiam cum suis detestamur autoribus. Violē-
tos nostra pietas execratur. In causa possint iura, nō brachia.
Nam cur eligant quærere uiolenta, qui presentia probantur
Ej q̄ habere

Aequabile
imperium
inter Gos-
thos & Ro-
manos.

Cassiod. li.
7. epist. 3.

Legura
amor.

**Amor Inter
Romanos
& Gothos.**

habere iudicia? Ideo n. emolumenta iudicibus damus. Ideo tot officia diuersis largitatibus continemus, ut inter uos non sinamus crescere quod possit ad odium pertinere. Vnum uos amplectatur uiuendi uotum, quibus unum esse constat imperium. Audiat uterque populus quid amamus. Romani uobis sicut sunt possessionibus uicini, ita sunt & charitate coniuncti. Vos autem Romani magno studio diligere debetis, qui & in pace numerosos uobis populos faciunt, & uniuersam rempub. per bella defendunt. Itaque destinato a nobis iudici uos conuenit obedire, ut quicquid pro conseruandis legibus censuerit, modis omnibus impleatis, quatenus & nostro imperio & uestrae utilitati satisfecisse uideamini. Hæc fuit communis formula (ut ait Cassiodorus) Comitum Gothorum per singulas prouincias. Quid uero est in tota hac formula, quod iniquum aut Tyrannicum iure dici quæat?

**Imbelles ante
Theodoricum
faciunt Itali.**

Sunt quidem aliqui, qui Theoderico in Tyrannidem imputant, quod Italos ab armorum usu abduxerit atque imbelles per hoc reddiderit, sed ab hac culpa poterit eum excusare priorum ante se principum ignauia, qui populos Italiæ adeo imbelles reddiderunt, ut Odoacer alienigena & nouus rex adeo secure eis dominatus fuerit, & subseruitutis iugum mancipatos tenuerit, ut & in Dalmatiam et in Rugiam cum exercitu exire, & longinquum peragere bellum ausus fuerit, relicta interim iudicibus & officialibus suis tota Italia, nec ullus Italicorum, eo sic absente cum exercitu suo, rebellare interim ausus fuerit.

Queruntur alij, quod Italiam tertiam agrorum partem ademerit, suisque tradiderit Gothis. Non nego equidem factum, sed inique factum fuisse nego. Tunc quod ante ipsum hoc fecerat Odoacer, sicut supra ex Procopio dictum est quod & Sabellicus refert, nempe quod regi & Herulis cesserit ex annuis prouentibus pars tertia frugum omnium. Quod ego sane grauius putauerim

putauerim ꝑ concedere tertiam partem agrorū Gothiis. Tū
ꝑ Italiae regnum Theodericus, nō Italarum, sed Gothorum
maximo labore periculoꝝ & cruore comparatum obtinue
rit, quod & per Gothorum arma perpetuo defenderit. Quæ
est ergo iniquitas ibi ꝑ nō totum (quod iure belli potuisset)
nec dimidium totius agri, sed solam tertiam agrorum partē
ā uictis & defensis transtulit in uictores & perpetuos omnium
Incolarum & prouinciarum defensores?

Rectius igitur in beneficiū adscribitur factum istud Theo
derico à Blondo, qui in eius beneficiorum cōmemoratione
inter cætera sic ait. Prohibuit aut edicto, & curam impendit
attentioꝝ, ne quis Romanos aut paterna origine Italus, ne
dum militaret, sed arma domi haberet. Saionibus (ut ipse ap
pellauit) ex Ostrogotha gente per urbem regionesq; Italiae
constitutis, qui prefectorū Centarionunꝝ uitæ fungentes,
barbaros suos in pace & ocio, à ciuium & prouincialium in
iuria prohiberent, educerentq; in turmas & Phalanges, cum
belli aut tumultus ratio postulare, simili item pietate usus est
erga uniuerfas Italiae urbes. Hæc Blondus, qui pietatem uo
cat, quod aliqui calumniose in culpam trahunt.

*DE BENEFICENTIA ET STV.
dio Theoderici erga urbem Romam Cap. VII*

Idem præterea Blondus Catalogum quendam recitat be
neficiorum, quæ idē rex singulari studio in urbem Roma
nam contulit, sic dicens. Theodericus Ostrogothorum rex,
licet Rauennæ sedem habuerit, amauit tamē ornauitq; urbē
Romā, et multa publice prouidit, ac neglecte instaurationis,
supra fidem eorum qui barbarū fuisse meminere, maximā
suscepit curam. Quod qui à fideli & à copiosissimo teste
Fi iij uoluerit

Verba Bl
di.